



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Prima Coram R. P. D. Manzanedo. Veneris. 26. Februarii 1627.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

DECISIONES ROTALES

In una Leodien. Decanatus.

PRIMA

Coram R. P. D. Manzanedo. Veneris.
26. Februarii 1627.Electio
Decanatus
valida de-
claratur.

N I.



Acante Decanatu Ecclesie Collegiate S. Bartho-
lomæi Leodien. Capitulum & Canonici dicte
Ecclesie in Decanum elegerunt D. Ioannem Sau-
neur, qui presentata electione Capitulo Cathe-
drali Leodensi, ab Episcopo petit confirmati-
onem illius, sed quia pro parte D. Ioannis Novi-
lia fuit oppositum de invaliditate electionis, ideò causâ in Rota intro-
ductâ, & mihi commissâ, dubitavi an constaret de illius validitate, & Do-
mini constare responderunt, & moti fuerunt ex eo, quod d. Ioannes Sau-
neur non solum habuit maiorem partem votorum respectu totius Capi-
tuli, prout requiritur ad effectum, ut quis dicatur canonicè electus à
maiori & saniori parte Capituli, ad text. in c. Ecclesia vestra. 48. de elect.
ubi Abb. n. 4. & cons. 25. n. 4. lib. 2. Franc. Marc. decis. 922. n. 3. lib. 1. Sed
etiâ habuit omnia vota, ut legitur in instrumento electionis, de quo in
summario d. Ioannis n. 1. unde negati non potest, quin appareat de vali-
ditate electionis, uti facta à maiori parte Canonicorum, à Canonicis
congregatis more Collegii, ad trad. per Dec. in c. cum omnes. 18. in prima
lect. de constit.

Cui non
obstat c.
quia pro-
pter de e-
lect. ut po-
te in digni-
tatibus
inferiori-

II. Nec visum fuit Dominis obstat dispositionem text. in c. quia pro-
pter. 42. de elect. cum præscripta ibi forma procedat solum, & sibi locum
vendicet in electionibus Ecclesiarum, quæ per mortem Prælati vidu-
antur, ut notat ibi gloss. 1. & ibid. Abb. n. 7. vers. circa istam partem. &
vers. in hanc partem. ubi testatur de communi. Io. Andr. n. 6. Butr. n. 19.
Imol. n. 3. vers. sed non habet locum. Franc. Marc. decis. 924. n. 1. lib. 1.

Et in

Et in puncto, quod dicta forma non sit servanda in electione dignitatū inferiorum dicit *Abb. ubi supra. n. 7. vers. iste autem. Imol. d. n. 3. Franc. Marc. decis. 920. n. 3. & 4. lib. 1.* ex quo sequitur, quod licet Capitulum voluerit eligere per viam Scrutinii, non erat servanda in dicta electione forma *d. c. quia propter.* cum non agatur de prima dignitate Collegiatæ, ut constat ex litteris *Sixti V.* ex fide Curialium, de quibus in dicto *summario Ioannis num. 2. & 3. Garcias de benef. par. 1. c. 6. n. 20.*

III. Minus obstat, quod Scrutatores non publicaverint electionem iuxta præscriptam illis formam in Compromissio; quia cum publicationem electionis Capitulum commiserit Scrutatoribus & directoribus, potuit illa fieri per unum ex illis, qui cæteris præsentibus, iure optimo potuit publicationem electionis facere. *ad text. in c. sicut. 21. de elect. in 6. & tantò magis, stante præsentia & acquiescentia ipsius Capituli, dum Decanus S. Pauli unus ex compromissariis, tam nomine suo, quam aliorum omnium publicavit in Decanum D. Ioannem Saunneur; ex quo resultat non solum ratificatio gestorum per Decanum S. Pauli, quibus Capitulum tacendo videtur consensisse, ut in puncto gloss. in d. cap. sicut. verb. per unum. Abb. in d. c. quia propter. n. 11. Specul. tit. de elect. §. 1. n. 2. vers. si autem. Franc. Marc. decis. 924. n. 2. Petr. de Baffio. in direct. elect. par. 3. cap. 33. n. 4. qui DD. loquuntur, quando publicatio debet fieri ab eo, qui non est de Capitulo, ut in casu nostro, sed etiam declaratur & cognoscitur, quid & quomodo per d. Capitulum S. Bartholomæi Scrutatoribus ac directoribus fuerit ordinatum & dispositum.*

IV. Denique non obstat, quod instrumentum electionis, ex eo quod careat testibus, non videatur in forma probanti, cum talis defectus suppleatur ex subscriptione directorum, præsertim cum adfuerit unus testis, & Notarius, qui loco alterius testis habetur, nec non tot Canonici, qui sic & tanquam partes & interesse habentes considerentur, nihilominus visum fuit Dominis sufficere pro talis defectus supplemento.

V. Ex quibus censuerunt Domini electionem fuisse validam, reservant tamen super electi idoneitate particulariter videre.

Publicatio electionis potest fieri ab uno Scrutatorum.

Instrumentum electionis subscriptum à directoribus est in forma probanti.

Conclusio pro validitate electionis.

SECUN-